



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Fundatio Monasterij Aetl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

ADDITIONES.

Fundatio Monasterij Aetl.

IN nomine Sancte & indiuividuæ Trinitatis. Anno Incarnationis Dominicæ M. LXXXVII. Ego *Engilbertus Halensium Comes* locum *Atilensem*, sub titulo Sanctæ Dei genitricis *Mariae* perpetuæ virginis, sancti quoque *Michaëlis Archangeli* in territorio *Frisingensi* restaurau. Idem namque locus priscis temporibus à Principibus de *Diesin* magna prædiorum, copia nobiliter est fundatus, sed à peruersis hominibus, & maxime à quodam *Friderico cognomento Hocke*, personis expulsis, rebus abstractis, ita destructus est, ut tribus tantum præbendariis illic remanentibus vix tandem paruissimum pristinæ habitationis ibidem seruaretur indicium. Sed quia tandem diuina clementia eundem locum, suo sancto seruitio denuo mancipari voluit. Ego *Engilbertus Halensium Comes*, diuino compunctus amore Castrum meum *Lintburg*, quod tunc temporis præclara ciuium numero sitate inhabitabatur, ex affectu quem pro restauracione loci *Atilensis* conceperam, hilari mente destruxi, & domum meam in castrum *Wasserburg* pro ampliatione, & pro situs monasterij commoditate transfusi, & qua cunque possessa fuerant in ipso monte, culta & inculta, à meis ministerialibus aliis prædiis commutaui, & in possessionem Monasterij tradidi. Post hoc conuocatis nobilioribus Bauariæ, amicis & ministerialibus meis, diligentissima indagatione cœpi inuestigare, ubi prædia inuenirentur, quæ de jure foedi à prima institutione Monastica religionis ad ipsum locum, sine contradictione pertinentia, videntur. Inuenta autem sunt hæc in ipso monte, & sub ipso culta & inculta, ad XII. aratra, octo Ecclesiæ cum dote & decimis earum, quarum nomina hæc sunt: *Atila*, *Kimerberg*, *Albrantsperg*, *Rite*, *Etlingen*, *Gerute*, *Hohenavve*, Capella in *Wasserburg*; pro quarum dotis & decimarum commutatione communis consilio & testimonio Principum, & Nobilium Bauariæ, Comitis videlicet *Berchtoldi de Andecks*, *Sifridi Comitis in Hockenburg*, *Chunoris de Megilingen*, *Herrandi de Amrangi*, *Burckordi de Mespurg*, aliorumque multorum consensu, Chori *Frisingensis*, in praesentia Domini *Ottonis Episcopi*, astanti omni clero suo, tradidi ad aram Sanctæ *Marie Frisingen*. Ecclesiæ, Decimalem turrem in *Ardingen*, & mansum dimidium, sub ipso monte situm, ad exponendum ibi vinum *Frisingen*. Ecclesiæ. Denique à principibus quos profati sumus, & à multis aliis nobilibus, adhuc inuenta sunt, ad locum *Atilensem* pertinentia, a flumine *Ebrach*, usque ad ripam *Kazbach*, prata, pascua, culta & inculta, apud *Albrantsperg* quatuor mansus, *Pruckbe* molendinum, *Roshart curtis*, *Vichusen* duæ curtes, *Chorenperg* duæ curtes, de cunctis vero quæ possidet in omnibus castris meis *Wasserburg*, *Viechtenstein*, *Grißenstein*, *Werberg*, pecorum videlicet, carnium, caseorum, volatilium, & omnium victualium meorum decimas *Atilensis* monasterio tradidi. Si quis autem huic traditioni nostræ obuiare voluerit, vel de supradictis possessionibus aut decimis aliquid minuere præsumperit, siue filij mei, seu qualibet persona, anathema sit in secundo aduentu Domini: conseruantibus autem ea, quæ prafato Cenobio perpetuo jure mancipauimus, sit merces quam præparauit Deus diligenteribus fe. ut autem traditioni nostra inconuulsa permaneat, præsentē paginam supradictis testibus & sigilli nostri impressione munimus & ratificamus.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectus filius Egilophus
Abbas